

Franckesche Stiftungen zu Halle

Dissertatione Praeliminari Peri Tēs Gnōseōs Pseudōnymu Ex I. Tim. VI. Vers. XX. Ad Orationem Qva Provinciam Docendi Theologiam A Serenissimis ...

Buddeus, Johann Franz

[Jena], Anno 1705.

VD18 90447824

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-198664



Q. D. B. V.

EST virtutis ac pietatis pars haud postrema, diuini Numinis obtemperare voluntati, nutumque & auspicia eius sequi, cuius consilio res omnes mortalium quam sapientissime diriguntur. Hoc ergo & mihi faciendum existimaui, cum concordibus suffragiis a SERENISSIMIS academiae huius NVTRITORIBVS, DOMINIS MEIS LONGE CLEMENTISSIMIS, ad docendam in hac bonarum artium sede, diuinam sapientiam, quam theologiam appellant, euocarer. Obuersabantur multa animo, quae Numinis nutum voluntatemque significabant haud obscure, praeferendamque aliis eam academiam suadebant, quae magni principis, constantia & pietate maximis etiam, quos vnquam orbis christianus vidit, comparandi, si non antepponendi, ceu conditoris sui memoriam conseruauit haecenus, & ad nostram vsque aetatem propagauit. Solent piorum in longe ventura saepius vim suam proferre secula, preces, habetque haud ingrata posteritas, si modo sua commoda non negligat, quod virorum pietate & innocentia praestantium suspiriis, quibus dum vixerunt, Deum sibi, aliisque, propitium reddere allaborarunt, imputer. Hisce aliisque ad sequendum, quorsum Numinis prouida ducebat cura, animum stimulantibus,

& permouentibus, hoc saltem anxium sollicitumque tenebat, qua demum demandatam ornare prouinciam, ratione, & tam augusti, quod subeundum esset muneris, rite explere partes possem. Erudire alios ad veritatem, pietatisque praeire exemplum, quod munus illorum est, qui sacrarum litterarum, diuinaeque sapientiae interpretes in academiis audiunt, res non ardua minus & difficilis, quam multorum iudiciis atque censuris exposita. Nihil ergo meis hic viribus tribuendum, diuinae contra cuncta danda gratiae, facile intellexi, per quam, modo duci per eam nos patiamur, etiam efficere ea, quae posita sunt supra spemque votaue mortalium, possumus. Hac fretus, in istud veri theologi exemplar atque imaginem, quam in Timotheo suo nobis exhibet magnus ille orbis vniuersi doctor Paulus, intueri accuratius, ut ad illam ceu normam & regulam, vitam moresque componerem, & exigerem, mecum constitui. Hoc dum ago, dumque in eo totus sum, altius veluti intimos cordis mei recessus penetrant, oculosque & animum sistunt, ea verba, quibus magnum quid & graue, quod animo insidebat exprimere, & amorem omnem effundere erga Timotheum suum videtur. *O! Timothee, depositum serua, abhorrens a profanarum vocum vanitate, & dissidiis eius, quae falso nominatur scientia.*
* Id vero & mihi praecipua quadam ratione dictum putavi, qui ea aetate diuinam mortalibus tradere sapientiam adgredior, qua inter reliqua, quibuscom ecclesia nostra conflictatur, mala, ψευδώνυμοι* eminet

γνώσις,

* I. Tim. VI, 20.

γνώσις, qua subinde in scholis, in academiis, aguntur in transuorsum, quid docentium munere funguntur.

Falso nominatam scientiam dum apostolus commemorat, & deuitare maximo studio iubet, eam designat, quae scientiae & cognitionis titulum perperam sibi vindicat, eoque nihilofecius se effert, iactat, atque passim celebrari cupit, licet eodem plane sit indigna. Non ergo omnem scientiam atque γνῶσιν damnat aut fugere iubet, sed saltem ψευδώνυμον. Namque ceteroquin scientiam ceu adprime necessariam, tum christianis quidem omnibus, tum maxime doctoribus, ipse apostolus Paulus passim commendat, celebratque. Romanos hoc nomine laudat, quod referri sint omniscognitione (πεπληρωμένοι πάσης γνώσεως) ut alius alium commonefacere possit: (*) & beneficiorum, quibus Corinthios cumulauit Deus, magnitudinem in memoriam reuocans, Deo, quod omnibus rebus, oratione quoque omni & scientia, ἐν παντί λόγῳ καὶ πάσῃ γνώσει ditati essent, gratias agit. (**) Ephesii spiritum sapientiae & patefactionis adprecatur, ut (ἐν ἐπιγνώσει) in cognitione Dei proficerent; (***) & inter vota, quae pro Philippensibus suis nuncupat, haud vltimum omnino est, ut excellant magis magisque caritate, in omni cognitione & perspicientia. (ἐν ἐπιγνώσει καὶ πάσῃ ἀγάπῃ) (****) Se ipsum vero dum velut in doctoris perfecti & consummati imaginem sistit, qui tolerantiae, patientiae, sobrietatis, castitatis, aliarumque, virtutum exemplum praeinerit aliis, vigilis, ieiuniisque scientiam, etiam addit. (*****) Et quid

A 3

opus

(*) Rom. XV. 14. (**) I. Cor. I. 5. (***) Eph. I. 17. (****) Phil. I. 9. (*****) II. Cor. VI. 6.

opus est testimoniis, in re clara & perspicua, & de qua nemo dubitat? Episcopum instruens formansque, non modo vt sobrius, frugi, modestus, hospitalis, sed & vt *didacticus* seu ad docendū aptus sit, requirit. (*) Docere autē alios qui possit, qui non ipse, quae doceat, didicerit, rerumq; diuinarum rudis sit, atque ignarus. Collustratum nimirum coelesti luce a spiritu sancto esse oportet, qui lucem praeterre aliis, viamque monstrare cupit, ne caligine tenebrisque, quas praua, quam a parentibus hausimus, secum trahit indoles, obcoectus, & alios quos ducere cupit, seque ipsum det in praecipitia. Hoc vero vt cum omnibus qui christiani non vocantur modo, sed & sunt, doctoribus quodammodo commune est, ita hos multum reliquos scientia & cognitione antecellere necesse est, etiam ea, quae humana industria, praestantisque ingenii viribus, comparatur, si dignos se tam augusto munere, nomineque, quod gerunt, praestare cupiunt. Veteres itaque, cordatissimi mortalium, cum ex virtutibus moribusque sanctis & innocentibus magis quam ex oratione aut scientia, doctores & episcopos metirentur, non tamen contemnebant scientiam, eaque ornatos cupiebant vel maxime, qui erudire alios velent. Immo & isti hoc sibi datum crediderunt, qui hominum relictis commerciis, solitarium vitae genus consectabantur. Horum namque licet haec praecipua cura erat, perdomare prauos affectus, viriisque indicere bellum, carnemque & corpus ieiuniis, duriorique, & aspero vitae genere, subigere, ut spiritui su-

um

* 1. Tim. III. 2.

um in illam constaret imperium; earum tamen omnino quoque coniungebant litterarum studia, quae alere pietatem, fouere virtutem, vitaeque & morum conseruare innocentiam apta erant, (*) Insecis autem seculi labe plerorumque animis, & ruente in deteriora christiano orbe, remansit tamen qualiscunque pristini moris vmbra, vt scientia & eruditione, saltem ea, quae qualicunque dogmatum placitorumque religioni christianae priorum, notitia, absoluitur, instructos Romani quoque Praesules illos, vellent, qui antistitum & episcoporum nomine, sacra curaturi, aliis praeficiebantur. (**)

Cum ergo non quamcunque, sed *ψευδώνυμον* saltem *γνώσιν* fugere, monente apostolo Timotheus debeat, quam ille significet intelligemus facile, si quae titulum nomenque verae scientiae promereatur, cognitio, consideremus. Nec nos ignorare hoc ipse apostolus finit, cum eam, quam omnes consecrari debent, doctrinam pietatis, seu *διδασκαλίαν κατ' ευσέβειαν* vocat, (*) & alibi *ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' ευσέβειαν*. (**) Quo ipso certis velut signis ac characteribus eam quae nomen, quo venit, tueri possit, scientiam, a falsa ista discernit; cum & *veritas illi constare*, simulque ad *vitae puritatem*, *pietatemque* comparata esse debeat. Figmenta namque & errores adeo scientiae nomine non facile quis sibi obtrudi patierur, vt communi omnes, qui

(*) conf. Ioannes Mabillonius de *studiis monasticis*, part. I. cap. II. & III. (**) Prolixius hoc edisserit Claudius Espenaeus, *di-gressionum in priorem epist. ad Timoth. lib. III. c. IX.*

(*) I. Tim. VI, 3. (**) Tit. I, 1.

qui non desipiunt prorsus, ab iis consensu abhorreant, semperq; veritatis speciem induant, quae errantium mentes subeunt commenta. Nec alium quam infernalem genium agnoscant in rebus diuinis errores auctorem atque parentem, cum a Deo, veritatis fonte, nihil nisi rectum verumque proficisci queat: Deus vero, cum hominum vnice, ista quam in diuinis litteris nobis impertiuir, veritate, consultum cupiat saluti, haec vero obtineri alio ordine rationeque non queat, quam purgato a prauis affectibus corde, eoque ad Numinis amorem cultumque composito, ecquis est, qui dubitet, tendere ad pietatem, salutarem istam, quam christiani profitentur, doctrinam? Apostoli exemplum secuti ecclesiae veteris doctores, veritate, quae ad pietatem comparata sit, γνῶσιν illam circumscribunt, quae christianae demum disciplinae alumnos deceat. Quos inter CLEMENS ille ALEXANDRINVS eminet, qui in discernenda recta a praua scientia, omne studium omnemque collocauit laborem. Namque vt in compendium cuncta mittat (*) tria verae γνῶσεως capita constituit, primo quidem, res nosse, deinde, efficere quod verbum seu ratio dictauerit, & denique, quae occulta fuerant apud veritatem, prout Dei maiestati conuenit, tradere posse. Res autem nosse, id quidem est veritatem perspectam exploratamque habere, vt de Numine, rebusque di-

(*) *Stromatum lib. VII. p. m. 701.* Verba eius ita se habent: ἡ καὶ ἰσοι καταφαίνεται τρία εἶναι τῆς γνῶστικῆς δυνάμεως ἀποτελέσματα, τὸ γινώσκειν τὰ πράγματα; δεύτερον τὸ ἐπιτελεῖν ὃ τι αὐτὸς λόγος ὑπαγορεύει; καὶ τρίτον τὸ παραδιδόναι δύνασθαι θεοπρεπῶς, τὰ παρὰ τῇ ἀληθείᾳ ἐπισκευμμένα.

uinis omnibus pariter ac humanis, ita sentiamus, pro-
ut diuinae nos sentire iubent litterae. Ex his enim so-
lis (*) omnis illa veritatis haurienda cognitio, reliquis
omnibus doctrinae fontibus, quocunque etiam nomi-
ne veniant, quantacunque sapientiae inde deriuandae
specie hominibus adblandiantur, procul remotis, pro-
culque faceffere iuffis. Ista vero nunc cognitio, scien-
tiaque, ad virtutem pietatemque referenda, quae pro-
fecto aliter sibi non constat, quam si Numinis volunta-
ti per filium in sacra scriptura patefactae, obtempere-
mus, moremque geramus, quam lubentissime. (**)
Cuius obsequii, amoris, pietatisque, non alius ite-
rum fructus esse potest, quam vt alios quoque ad
tantae felicitatis perducamus societatem, eosque iti-
dem ad summam, quam mortalibus Deus destinauit,
felicitatem, erudiamus.

Ea contra scientia, quae perperam hoc nomine

B

fu-

(*) Non dissente ipsomet Clemente, cuius ceteroquin hac de
re liberius dicta, ad hanc eandem normam reuocanda sunt.
Dixerat loco cit. pag. 700. a filio discendum esse eam, quae o-
mnia superat, causam, nempe patrem vniuersorum (τὸν πα-
τέρα τῶν ὅλων). Et sane filius est, qui nos voluntatem patris
condocuit Ioan. 1. 18. Quem rursus ex prophetis atque scriptu-
ra sacra cognosci, p. 702. Clemens asserit: Dei autem esse fili-
um, & eum esse seruatorem & dominum, quem nos dicimus, ἀν-
τίχρυσ ἀνθεῖα πατρὶς ἀσὶ πατρὶς, aperte diuinae ostendunt
prophetiae: vt alia, quibus idem demonstrari posset, nunc ra-
ceam. (**) Eodem redeunt, quae Clemens dicit: Dei ergo cultus
(θεοπροσκύνησις τῷ Θεῷ) est continua animae cura ei, qui est praeditus
cognitione (τῷ γινώσκῳ) & eius perpetua in Deo occupatio per
charitatem, quae nunquam intermittitur l. c. p. 700. Sed legi
quoque sequentia merentur,

superbit, pro Iunone nubem, pro corpore umbram, pro veritate errorem atque figmentum amplectitur. Ut adeo omnes illi, quocunque nomine veniant, quacunque aetate vixerint, qui a veritatis aberrauere tramite, aut ea cogitarunt vel docuerunt, quae verbo diuino consentanea non sunt, hic intelligendi veniant. Nec isti modo, sed & reliqui, qui mente forte & cogitatione, assequuntur, quae in diuinis litteris tradita sunt, sed tamen ea, quae vtrunque comprehenderunt, non ad pietatem, morumque & vitae emendationem, sed ad ingenii ostentationem, aut foediores adhuc cupiditates, quibus agitantur, vel fouendas, vel explendas referunt. Quos omnes etsi apostolus hoc effato feriat, & ad meliorem reuocet mentem, nullum tamen est dubium, quin specialiori ratione quosdam designet, qui ea aetate hoc morbo laborarunt, eoque inficere alios potuerunt, quos ut fugeret & euitaret, monere Timotheum suum, necesse habuit. Nec desunt, qui ipsos Gnosticos velut atro quodam lapillo notari condentunt, (*) suffragante quidem ipsa voce, a qua

(*) Faciunt hoc Chrysostomus, sed trepide, Camerarius, Antonius Fayus, Hugo Grotius, Henricus Hammondus, laudati Iacobo Thomasio in *schediafmate historico de definitione philosophiae*, qua dicitur *γνώσις τῶν ὄντων*, &c. §. XXXII, p. m. 19. seqq. Cum primis hoc magno conatu agit Henricus Hammondus, non tantum in *dissertatione prooemiali*, praemissa *dissertationibus quatuor de iure Episcopatus*, iā Iacobo Thomasio, i.e. aliisq; hoc nomine commemorata, sed & in annotationibus in N. T. quas cū eius paraphrasi, ex Anglicana lingua in latinā transtulit & an. MDC. xcviii Amstelodami edidit, Ioannes Clericus. Mentem suam ita explicat Hammondus, ut dubium non sit, eam generatim Gnosticorum vocem pro homini Simoniana profapia sumere. *In dubium*

qua nomen fortium est id hominum genus. Foedi errores, nec melior vita, sub splendido *γνώσεως* nomine in scenam prodeuntes, dignos istos reddebant, qui a quouis castigarentur, immo indignos isto, quo se efferebant nomine, ut iure meritoque *ψευδώνυμοι* illorum, quam iactitabant, scientia, dici potuerit. Dogmata enim illorum fabulosissimis, ut Hipponensium praeful, AUGUSTINUS (*) loquitur, plena figmentis, veritatem in scholis horum hominum, nullam inuenisse sedem, demonstrabant luculenter: nec pietatis ullam habuisse istos rationem, scortationes, stupra, incestus & cuncta impuritatum genera, a grauissimis illis exprobrata auctoribus, satis superque ostendebant. Accedebat illa *ἀντιθεσις* boni malique Dei (**) a gentilium philosophis

B 2

binum, inquit, in adnot. ad I. Tim. VI, 20. reuocari nequit, verum falso dicta cognitio, respiciat ad haeretica Gnosticorum dogmata, quod & alibi multis ostendimus. vid. notat. ad II. Petr. I. 5. Constat enim primum eorum conditorem fuisse Simonem Magum, ex Irenaeo & aliis veterum. Quod an satis consideraerint, qui hactenus contra Hammondum disputarunt, dubito: Ioannes Clericus itidem in adnot. ad h. l. refellit sententiam Hammondii, utpote incertam, cum nondum euictum sit, extirpasse ea aetate quibus Gnosticorum nomen proprium fuerit. Existimat itaque Gnosticos Apostolicorum tempore fuisse Iudaeos aut natalibus aut regione, qui eo, quod versarentur inter Graecos, multa ex illorum philosophia, admiscuerant Iudaicae theologiae, atque ex illa hybrida doctrina scripturam & religionem interpretabamur. Clarius deinde mentem explicat, *ψευδώνυμοι γνώσεως* nomine mysticas & allegoricas scripturae interpretationes, ab apostolo designari, innuens. Sed hoc aeque incertum est ac prius. Locus autem Barnabae, quem affert, nihil ad rem facit. (*) de haeresibus cap. VI. (**) Augustinus l. c.

phis accepta, & vel ipso verbo hic significata ab apostolo. Sed temporum obstant impedirae rationes; & non satis constans sibi consentiensque veterum de Gnosticorum, qua placita, qua nomen, origine, sententia, quominus statim id admittamus, quod illi asserunt, vetat. (*) Quod cum animaduerterent alii,

(*) Nimirum non vna est de Gnosticorum origine sententia. Namque a Simone eos derivat Epiphanius, *haeref. XXI.* a Menandro Irenaeus *lib. III. cap. IX.* Augustinus, nonnullos eos a Nicolaitis, alios a Carpocrate accessere, auctor est, *de haeref. cap. VI.* Alii aliter opinantur. Possunt tamen istae quodammodo inter se conciliari sententiae, si observemus, Gnosticorum nomine nonnullos generationem uti, pro omnibus haereticis, qui ex schola Simonis magi, eiusque discipulorum prodierunt, ut differte Theodoretus facit *hom. XVII. in 1. Tim. VI. opp. f. 531.* observante etiam Iacobo Thomasio *l. c. §. XXX. lit. X.* nonnullos certam, sectam, ut Nicolaitas, Basilidianos, Carpocratianos, Valentinianos, & reliquos hoc nomine designare. Rursum cum quidam, nullos alios Gnosticos, praeter eos, qui a sectae conditore nomen sortiti sunt, admittant, alii distinctam a Nicolaitis, Basilidianis, ceterisque omnibus & peculiarem sectam constituunt, quae hoc sibi nomen vindicet. Qua in sententia Augustinus, Epiphanius & alii versantur. Iam si Gnosticorum nomen pro tota Simoniana familia, aut eiusmodi secta, quae Apostolorum tempora attigit, capiatur, temporum convenient rationes. Supererit dubium, an Gnosticorum adpellatio, iam eo tempore usitata fuerit. Potuerunt enim esse, qui eadem docerent, quae Gnosticis tribuuntur, licet nomen nondum ortum esset. Et potuit quoque *γνῶσις* nomen usurpare apostolus, falsam cognitionem designaturus, licet certe illud non haereret sectae. Sunt qui in Barnabae epistola, quam post alios Stephanus le Moyne, & Ioannes Baptista Cotelerius, ille in *variis sacris*, hic in *scriptis patrum, qui temporibus Apostolicis floruerunt*, opera & studio Ioannis Clerici

lii, Nicolaitas suos obtrudere conati sunt, (*) quorum cum & alibi scriptura sacra notet flagitia, ut apostolorum, saltem Ioannis, iam eos extirpale aerare, dubio careat, haud vero absimile putant, damnari & a Paulo illorum *ψευδώνυμον γνῶσιν*. Veritatis vtrique pietatisque expertes fuere impurissimi homines: indeque vtroque nomine, quam prae se rulerunt, cognitio, quemadmodum & stultissimi improbissimiq; homines sapientes sibi videntur, *ψευδώνυμοι* iure pronuntiari potuit. Eos nec ab idolothytis, nec a fornicatione abhorruisse, ex ipsa scriptura sacra haud obscure colligas: huic tamen impietati grauissimos eos addidisse errores, veteribus

B 3

di-
ci anno M D CC recusis, ediderunt, vestigia Gnosticorum se offendisse, arbitrantur. Totus sane in eo, ut varia huius epistolae loca ad Gnosticos trahat, est Hammondus, cui ad stipulatut Stephanus le Moyne in *Not. ad varia sacra p. 600.* Sed posse, quae Barnabas de *γνώσεις* dicit, ita capi, ut ad Gnosticos respexisse credendus non sit, iam aliis recte obseruatum est. (*) Ita Theophylactus *comment. ad b. l.* hoc de iis Gnosticis, qui a Nicolao originem trahunt, interpretatur. Nec procul hinc abit Christophorus Christophori Sandius in *Nucleo Histor. Eccles. p. m. 60.* ubi addit, Gnosticorum nomen omnibus olim christianis fuisse commune, idque cum sibi etiam vindicauerint haeretici, eo etiam a patribus non nimis nominum curiosis, illos fuisse insignitos. Sed rectiora aliunde contrahant. Ignatius in *epistola ad Trallianos Tom. II. editionis Cotelerii p. m. 69.* Nicolaitas *ψευδώνυμος* vocat: *φύγῃς*, inquit, *καὶ ἀκαθάρτους Νικολαίτας, τῶν ψευδ. ὀνύμων* &c. sed alio sensu. In veteri namque versione *p. m. 148.* additum: *Non enim talis fuit apostolorum minister Nicolaus.* Quo ipso edocemur, eos non diacono illo, cuius in scriptura sacra celebratur nomen, sed ab alio quodam Nicolao, scilicet conditore, nomen sortitos fuisse.

diserte id afferentibus, facile crediderim. Fauet enim sibi libido & improbitas, & ingenio pollet, ad quidlibet comminiscendum, ut honestatis sibi induat speciem, & semel cum sibi indulgere incipit homo, non facile ubi consistat, reperit, nec tam quid a ratione alienum est, quod non admittat, modo hoc sibi, rebusque suis conueniens arbitretur. Et haec quidem omnia licet ita se habeant, speciatim tamen ad eos verba apostoli pertinere, nondum persuadent. Nec enim causa praesto est, quae euincat, ad eos praecipua quadam ratione hoc effatum apostoli referendum, cum & alii eo tempore fuerint, qui & errorum stultitia, & vitae foeditate, turpitudineque morum certare potuerint cum Nicolaitis. Non multum profecto referre, puto, si vel maxime, quos omnino designet vir diuinus, ignoremus, modo id annitamur, omnique labore opera, ne similes iis simus, quos designat. Generatim ad Simonis affectas, licet nominibus forte & placitis quibusdam diuersos, haec referre verba, nihil prohibet. Non enim tam homo fraudulentus errores quosdam, quam errorum monstra inuexit, improbitatis simul omnis summus magister & artifex: dignusque qui ἀνθρώπων ἀμαρτίας καὶ ψυχῶν ἀπωλείας audiat, (*) licet alium, Simonianas quondam artes, cum orbis vniuersi stupore, in scenam reuocaturum, aposto-

(*) II. Thes. II. 3. seqq. ubi Hugo Grotius quidem Caium Caligulam Imperatorem, Henricus Hammondus autem, Simonem magum, intelligit. Ast ut Grotium Abrahamus Calouius, ita Hammondum, castigauit, Ioannes Clericus, uterque ad b. l. huius tamen, Simonem Giorae filium, hic designari, non melior est sententia.

stolus hoc nomine innuat. Nihil intactum in sacra,
qua ad salutem homines erudiuntur, doctrina, reliquit
profana mens, quod non, si fide antiquorum standum
scriptorum, pollueret & foede conspurcaret. Semet-
ipsum enim pro Dei filio venditavit, qui ut filius adpa-
ruerit in Iudaea, in Samaria ut pater descenderit, in a-
liis autem gentibus spiritus sancti nomine tituloque
venerit. De Helena autem sua seu Selene, matre o-
mnium, & ex qua angelosque archangelosque genu-
erit, quid non commentus est, impostor turpissimus?
Ab angelis vero mundum creatum docuit, ut huius
quoque facti gloria Deo eriperetur: quemadmodum
& natiuitatem mortemque Christi eum negare oport-
tebat, ut se in eius locum substitueret. Namque qui creati
mundi gloriam Deo patri denegabat, redempti quo-
que hominum generis laudem eripere filio, sibi que af-
ferere, non poterat sibi ducere religioni. Iam ut re-
liqua sacri aedificii, quo vera religio continetur, fun-
damenta concuteret, euerteret, labefactaret, & im-
puritati quoque omni & libidini habenas laxaret, mor-
tuos resurgere inficiatus est, honestique & inhonesti su-
blato discrimine, omnes eos, qui in ipsum eiusque Helenam
spem suam fiduciamque collocauerint, facultate quae-
cunque placuerint, agendi, praeditos, liberosque a
legis cuiuscunque imperio, pronunciauit: nec id o-
latriam modo in licitis posuit, si forte mortis pericu-
lum immineat, verum etiam promiscuum feminarum
usum, omniumque scelerum ac flagitiorum licentiam,
suis concessit. Quae & reliqua, uti ex THEODORETO, (*)

EPI-

(*) lib. I. haeret. fab. cap. I.

EPIPHANIO, (*) AVGVSTINO, (**) TERTULLIANO (***)
aliisque constant: ita sequentibus quoque novarum
haeresium inuentoribus, fundam velut amplum ū ter-
tilissimumque praeberunt, ex quo noua in dies com-
menta, reuera eadem, alt specie, forma, nominibus,
diuerſa, producerent diſſeminarenq; Vt adeo Simon
hicce aliis quidem αἰρεσεως ἀρχηγός, (****) aliis πάσης
αἰρέσεως εὐρετής, (****) IRENAEO (*****) autem, fons &
radix haereticorum, iure meritoque audiat.

Cuncta vero eo comparata sunt, vt ψευδάνυμον ho-
minis γνώσιν satis arguant. Scientiam namq; seu γνώσιν o-
mnino sibi tribuebat homo ambitione turgidus & vel-
ut lymphatus, eiusque vana specie ita imponebat alijs,
vt non tantum plurimos adipisceretur sectatores, sed
hi ipsi cum γνώσεως opinione, nomen quoque ipsum
Gnosticorum, proprium sibi facerent. Nihil tamen
aeque ad Simonis scholam velut digitum indentere a-
postolum, euincit, ac ἀντιθέσεις illae ψευδάνυμος γνώσεως ac
βέβηλοι κενόφωναι, quarum hic meminit. Nec enim mihi
dubium videtur, quin mali istius bonique principii op-
positionem, quae Simonianae doctrinae haud vltimam
partem faciebat, hic redarguat. Hanc enim Simon sen-
tentiam a Zoroastre, Persarum philosopho, vt ferunt,
(*****) inuentam, a reliquis gentilium subinde phi-
loso-

(*) haeresi XXI. (**) de haeresibus cap. I. (***) praescript. adu. haeres. p. m.
178. (****) Eusebius H. E. lib. I. c. XIII. (*****) Cyrillus Hierosoly-
mitanus catech. VI. (*****) lib. I. c. XIX. (*****) Ira quidem ple-
tiq; ex viris doctis, harumq; rerum peritis, sentiunt. Alt Thomas
Hyde, vir doctissimus, hanc fuisse veterū Persarum mentem, quae
vulgo illis tribuitur, negat. Eos namque vnicum tantum boni
prin-

Iosophis adprobatam, fouendis alendisque mortalium
vitiis, peropportunam, arripuit, & non modo ad quos-
dam Gnosticos, sed & ad Marcionitas, ac Manichae-
os propagauit, atque transmisit. Non nego, pugna-
se & inter se Gnosticos quandoque, ac in diuersas abiis-
se sententias, quas illorum *divides* hic notari, non
nulli

principium, aeternum, Deum videlicet, ipsorum lingua *Rezad*
seu *Izad*, itemque *Rezdan*, immo alionomine *Ormuzd*, vn-
de Graecorum *Ωρομδζδης*, admisisse. Posuisse equidem eos &
aliud mali principium, aut creatum, *Abariman*, seu *Abreman*,
vnde Graecorum *Άβρεμάνιος*, adpellatum. Addit, aliquando
Dei nomine, & principium quoddam boni creatum apud eos
venire, cui principium mali creatum opponatur, sed ut ab utro-
que principium boni increatum, atque supremum, discernatur.
Nec tamen diffitetur, fuisse quosdam ex Indo-Perfis, qui prin-
cipium mali, seu diabolicum a se ipso processisse h. e. aeternum
fuisse, & malos angelos sibi creasse, asseruerint. Sed, inquit,
haeretica est haec opinio, eaque ignorantium quorundam homi-
num, qui peculiariter vocantur *Thanania* h. e. dualistae, seu do-
mini duorum, scilicet assertores seu auctores duorum principio-
rum &c. de religione Persarum cap. IX. add. cap. XXI. Ego fa-
cile crediderim, Mosaicam istam veramque patriarcharum do-
ctrinam, de angelis bonis ac malis, huic Persarum errori
occasionem praebuisse, quem siue omnes, siue quidam admi-
serint, nobis perinde est. Zoroastri equidem, aliisque magis, haec
de duplici principio aeterno, sententia, vulgo a Graecis tri-
buitur: quibus forte minus, quam domesticis scriptoribus, cre-
dendum, contendunt, qui veteres Persas excusant. Praeter
Plutarchum libro de Iside & Osiride, Diogenem Laertium, a-
liosque, legi hac de re potest Thomas Stanleyus *Hist. philos. ori-
ent. lib. II. cap. VI.* A Persis istis dualistis ad alias gentes eadem
opinio fluxit, immo & ad Graecos penetrauit, quorum prae-
stantissimos hoc errore infectos fuisse philosophos, constat,
quem

nulli contendunt. (*) Nec oppositos verae doctrinae
 hos errores, ἀντιθέσεων nomine venire posse, abnuo. (**)
 Vtrumque autem, ut cum reliquis haereticis commu-
 ne Simonianis fuit, ita proprium aliquod & peculiare,
 quo velut caractere, quos deuitare Timotheus debe-
 bat, significaret, innuit hic, nisi me omnia fallunt,
 gentium doctor. Quid vero aliud, quam istud, quo
 christiano pariter nomine, ac sapientiae opinione, su-
 perbiens, tantoque cauenda diligentius, Simoniana
 cohors, a reliquis, eiusdem quidem commatis, discer-
 nebatur omnibus? Prorsus etiam quadrant βιβλοὶ κε-
 νοφωνίας. Vocabulis enim mirificis, barbarisque, ac pe-
 regrinis, Simoniana, ut EPIPHANIVS auctor est (***) re-
 sonabat schola, idq; magorum more, (****) ne magi-
 stri dedicerent disciplinam, quibus, vocabulis ad lu-
 bitum fidelis, aut ad metum terroremque aliis incutien-
 dum excogitaris, nescio quam tribuere vim, solenne
 fuit. Erant tamen profecto κενοφωνίας, inanes voces,
 vi omni ac efficacia destitutae, immo erant βιβλοὶ,
 cum summa, uti patet, impietate coniunctae. Nec er-
 rat,

quem deinceps resuscitarunt Manichaei. Ut adeo mirum non
 sit, & Simonem Magum sententiam per orientem tam late dis-
 seminatam, assumpsisse.

(*) Hugo Grotius ad I. Tim. VI, 20. & I. 4. (**) Ita Gerhardus,
 Estius, alique censent. conf. Abrahamus Calouius ad h. l.

(***) Immo haud obscure haec verba apostoli ad Gnosticos, qui
 talia a Simone suo acceperant, trahit sub initium haeres. XXVI.
 Sunt autem plurimi, qui Simonianorum κενοφωνίας hic atro no-
 tari lapillo contendunt. vid. Claudius Espencaeus ad h. l. 301. 302.

(****) Iuxta illud in oraculis Zoroastris: δόματα βάεβα μὴ
 ποτ' ἀλλάσσης, ἐστὶ γὰρ ὀνόματα παρ' ἐκάστοις θεόσδοτα, δύνα-

μειν

fat, si quis *κενοφωνίας* dixerit, (*) cum & nouitas ista profanarum magicarumque vocum, menti sententiaeque apostoli egregie conueniat. Ita vero omnino est, fuerunt omni tempore, eruntque semper, quamdiu homines erunt, quibus *ψευδώνυμον*, merito exprobres *γνώσις*. Et quemadmodum HIERONYMUS, dum se dolere, ait, (**) vicē illorum, qui falsi nominis scientia supplantantur, tum reliquos, quos vocat ecclesiae hostes haereticosque, tum eos maxime, quibuscum eo tempore ipsi conflictandum erat, Heluidium, Iouinianum, ceteros, intelligit: ita nullum tam sterile exitit seculum, quod non *ψευδώνυμα* huius *γνώσεως* exempla dederit, quamplurima. Ecclesiae hoc testantur annales, & haereticorum tot nomina, vt vel integri iis capiendis vix sufficiant libri. Ipso iam apostolorum, vt diximus, aeuo, Simoniana ecclesiam afflixit pestis. Hanc secundo seculo Gnosticorum excepit turba. Tertio, Nouatianorum rigor, & quarto furor Arrianorum ecclesiam vexauit. Hinc secutus est cum Eutyche Nestorius, vterque cum sectatoribus suis, quinto sextoque seculo orbi christiano grauis. Monothelitae ex Eutychanis prognati, proruperunt seculo septimo,

C 2

cuncta-

μιν ἐν τελείᾳς ἀρετῇ ἔχοντα. Nomina barbara nunquam mutaueris: sunt enim nomina apud singulos a Deo data, vim in sacris arcanam habentia. vid. oracula Zoroastris, Stanleii *historiae philosophiae orient.* addita libr. IV. p. m. 399. (*) Vulgatus interpres, profanas vocum nouitates vertens, *κενοφωνίας* legisse videtur, cui & nonnulli ex veteribus adstipulantur: ast graeci codices constanter *κενοφωνίας* legunt: atque ita legisse ac exposuisse Theophylactum, atque Oecumenium, constat.

(**) *dialog. aduersus Pelagium T. III. opp. fol. 118.* add. B, Iacobus Thomaius l. c. p. 22.

cunctaq; turbarunt misere, quo tempore & nouus impostor alterque Simon, Muhammed ille, in humani generis perniciem lucem vidit. Mox grauius malum orbi incubait, ortumque media in ecclesia illud tenebrarum & superstitionis regnum est, quod suos undique diffudit limites, vt pauca lucis & veritatis hinc inde apparerent vestigia: mutataque ira rerum omnium facies est, vt haeresis esset, si quis veritatem profiteretur, nec sine impieratis suspitione, mortalibus liceret esse piis. Nihil ad Simonianum scelus deerat, siue mores spectes, siue doctrinam. Nec semel Simonianae artes Romanis praesulibus exprobratae, quarum quo acrius a se remouere conabantur suspicionem, (*) eo clariora aliis, earum se conuicendi, suppeditabant argumenta. Speciem & fulcimentum praebebat, nescio quod ex male intellectis philosophorum scriptis, & diuinis litteris, ad impurum sensum deprauatis, conflatum chaos, subtilissimisque nugis idem refertum, & si quid aliud ψευδώνυμος γνώσεως nomine tituloque dignissimum. Nec sophistarum cauillandi deerant artes, quas honesto dialectices nomine tegebant, tantam huic turpissimo vsu conciliantes inuidiam, vt nonnulli, recta a prauis discernere parum apti, hanc ipsam artem, ἀντι-θίσεων nomine indicari ab apostolo, sibi aliisque persuasum cuperent. Namque βεβήλης καὶ οὐ σωφίας affatim in tanta doctrinae sententiarumque adfuisse corruptione, ecquis est, qui dubitet? (**) aut quis est, qui tam

hospiti-
(*) vid. Ioannis Launoii *veneranda ecclesiae Romanae circa Simonianam traditio*. Prodiit Parisiis anno MDCLXXV. in 8. (**) κενό-
Φωνίας & κακὸς Φωνίας ab apostolo notatas, huc trahit ipse
Rolandus Maresius *lib. II, ep. LXV. p. m. 477.*

hospitem ex historia retulit animum, ut hoc ignoret?
 Et utinam nostram hoc non premeret malum ecclesi-
 am, nec iustissimas cum apostolo haberemus admo-
 nendi quosuis, praesertim eos, qui nostrae se commit-
 tunt disciplinae iuvenes, ut *βεβήλας κενόφρωνίας καὶ ἀντιθέ-
 σεις τῆς ψευδανύτης γνώσεως* fugerent ac euitarent, causas?
 Ne quidem de illis dicam, qui spreta a maioribus
 nostris sapienti consilio atque reiecta, ita in usum iam-
 pridem reuocare allaborarunt, ut a superuacuis neces-
 saria, profutura ab inutilibus nequiquam discernerent,
 nec eam quam debebant in re tanti momenti, adhibe-
 rent, circumspeditionem: quanta, quaeso, quotidie in-
 anium opinionum, commentorum, atque errorum,
 ubique efflorescit seges? quanta ingenii humani in ex-
 cogitandis fingendisque, quibus causae suae inferui-
 ant, quibus cupiditates suas improbas, impuras, regant,
 excusent, pallient, promptitudo conspicitur, quanta
 foecunditas?

Tam late *ψευδανύτης γνώσεως* regnum patet, ut non
 modo errorum prauorumque dogmatum architecti,
 inuentores, ac propugnatores hanc apostoli repre-
 hensionem incurrant: sed illi quoque, qui recta equi-
 dem atque vera utcumque docent, ad prauas tamen po-
 tius cupiditates, quam ad pietatem, bonosque, & ho-
 mine christiano dignos mores, cuncta referunt. Sunt,
 qui non certam haereticorum gentem, sed generatim
 philosophos & eruditos quosuis norari ab apostolo, au-
 tumant, (*) quod iam tum plerique litteratorum, qui

C 3

chri-

(*) vid. Grotius in *I. Tim. VI. 20.* sed addatur Calouius ad *enun-
 dem locum.*

christianae religioni nomen dederant, salutaris coelestisque doctrinae simplicitatem fastidientes, ut ad sapientiae humanae ac eruditionis formam eam componerent, instruerentque, sua apostolorum scitis admiscere non dubitarunt placita. Ex quo errorum deinceps & contentionum amplissima seges. Quibus licet, iustis suffultus, suffragari nequeam, causis, res ipsa tamen constat inter omnes, nihil aut dici aut cogitari perniciosius posse, quam si aut ad eruditionis sapientiaeque laudem consequendam, aut ad alias quocunque demum nomine veniant cupiditates, comparatum sit veritatis, praesertim diuinae, quam theologiam hodie nuncupamus, studium. Quantaunque enim ista sit siue humanarum, siue diuinarum rerum, scientia, quantumuis splendida, accurata, exquisita, est tamen ψευδώνυμος γνῶσις, nisi eo quo debebat, tendat, atque hunc referre apta sit fructum. Displicuere ipsis gentilibus, qui aliquod virtutis ac doctrinae, scientiae ac sapientiae, diuortium facerent, eamque demum veram & antiquam illam sapientiam iudicarunt, quae nihil aliud, quam facienda atque vitanda, praeciperet. (*) Quanto ergo magis christianos in ea versari dedecet opinione, dignam esse scientiae nomine eam doctrinam, quae cum sacrae sapientiae nomen titulumque praeferat, non tamen ad emendandos corrigendosque mores, ad vitae sanctitatem, pietatemque, vnice est comparata. Neque enim christiana aliud quid,

(*) Seneca Epist. XCVI. Antiqua sapientia nihil aliud, quam facienda ac vitanda praecepit, & tunc longe meliores erant viri &c.

quid, quam λόγος ευσθεσίας, vt recte veteres adpellarunt; (*) est religio: cum ipse ideo humana indutus carne adparuerit inter mortales Christus seruator, vt expiatis criminibus nostris, ad frugalitatem, castitatemque & omnem puritatem, pariter ac pietatem, iustitiamque, mundanis quidem procul facessere iussis cupiditaribus, nos erudiret. (**) Nec mirandum, quamdiu praua haec mortalium insidet mentibus opinio, etiam eam, quae vitae parum inseruit, nec ad veram felicitatē quidquam prodest, doctrinam, scientiae sapientiaeque tamen, immo si quod nobilius est, nomen, in diuinis etiam sacrisque tueri posse, (***) dari multos, qui vana eruditionis ac scientiae opinione agantur in transuersum, quoad dieque audiri multorum querelas, nec saepius, nec turpius peccari, quam ab iis, qui virtutis praeire aliis exemplum debebant. Qui quidem miserrimi longe sunt omnium, cum & sibi pernici-

(*) videatur Psellus in *Oracula Chaldaica* p. 94. (**) *Tit. II 12.*

(***) Longe aliter Lactantius, quam vulgo plerique hac de re sentit, dum *sapientia*, inquit, *nisi in aliquo actu fuerit, quo vim suam exerceat, inanis & falsa est.* Quod tum de ciuili, tum de diuina maxime sapientia, seu de theologia, longe est verissimum. Prolixius hoc edisserit de falsa sapientia *cap. XVI.* Suffragatur Bernhardus, cuius insignis hac de re extat locus *hom. XXV. in cantic.* vbi inter alia ait: *aliud est nosse Deum, & aliud timere: nec cognitio* (nuda scilicet, quae nihil aliud, quam ψευδωρύμιος γνῶσις est) *sapientem* (vereque scientem) *sed timor facit.* Tunc sapientem dixeris, quem sua sapientia inflat? Quis illos sapientes, nisi insipientissimus dicat, qui cum cognouissent Deum, non tanquam Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt? ego magis cum apostolo sentio, qui insipiens cor eorum manifeste pronuntiat, &c.

niciem suis moribus afferant, & aliis, quos in errorem pariter inducunt, gravissime noceant, quo nihil tristius, nihil funestius homini accidere posse, pronunciant sententiam servatore nostro, non ignoramus.

Nec ea quidem, quam designamus, *ψευδώνυμος γνώσις* species, quae veritate ac scientia ad vana, ludicra, improba abutitur, de moribus pietateque parum sollicita, infrequens hodie est, ut sacrae doctrinae veris interpretibus de ea parum cogitandum sit. Errores pro lubitu cuncta fingentium, & profana ista, veritate cognitioneque non recte utentium pestis, dum totum se re occuparunt orbem, dubia velut inter se certant palma, dubiosque nos atque incertos relinquunt, unde maior in orbe christiano strages? Nec vlla litterarum, humanarum aut divinarum parsest, quam non hac ratione contamine, polluatque infernalis genius, ut illis, qui tanto studio eis operantur, vix animadvertentibus, in *ψευδώνυμον* degenerent *γνώσις*. Quam paucienim sunt, qui litteris doctrinaque animum imbuentes, pieratis ubique christianae, sibi rationem praecipue habendam putent? Quam multi contra suos variis studiorum generibus, profecto minime vituperandis, laudandis potius maximopere, ita irretiri ac implicari patiuntur animos, ut de vita ad Christi servatoris exemplum componenda, nulla eos subeat cogitatio? Quod cum intelligerent alii, & tantum illorum numerum, qui doctos se ac sapientes vocant, hinc inde agi ferrique & in praecipitia rapi viderent, causam mali in litteris & scientia, non hominum stultitia quaerentes, in eam ingressi sunt sententiam, dampnanda pariter reiiciendaque litterum studia esse, nec consistere

sistere cum eruditione pietatem posse. (*) Quae quidem iam antiquis ecclesiae doctoribus (**) improbata sententia, nescio, an horum, qui eam defendunt magis imputanda simplicitati, quam imprudentiae illorum, qui profana mente litterarum sacra contrescantes, & sibi ipsis perniciem, & bonis artibus contemptum attrahunt.

Ego vero haec omnia accuratius mecum expendens, hoc mihi, dum demandatum clementissime a SERENISSIMIS academiae huius NVTRITORIBVS munus subeo, praecipue negotii datum facile intelligo, ut recta, quam diuinae monstrant litterae, via incedam, nec vlla me ab illa ratione dimoueri patiar. Semper itaque animo meo obuersabitur vox sanctissi-

D

ma

(*) Fuerunt multi, qui aperte hoc professi sunt: nonnullis tamen perperam haec sententia imputatur. Inter recentissimos Gallus quidam est, Carrel, cuius hac de re liber Lugduni anno MDCC prodiit, titulum gerens: *La science ecclesiastique suffisante a elle meme, sans le secours des sciences profanes*. Id quippe agit, ut non tantum philosophiam, litterasque, quas humaniores vocant non necessarias ac superfluas theologis, sed noxias insuper iudicet. Ad Tertullianum autem aliosque ecclesiae patres, humanarum rerum scientiam ac philosophiam damnantes, dum prouocat, parum pensi habet, haereticos, hac *ψευδώνυμος γνῶσις* specie deceptos, aliosque decipientes, eos ferire. Sed ille iam aliorum expertus est censuras, (**) Origeni lib. I. contra Celsum, Lactantio diuinarum Institut. lib. V. cap. I. Augustino de doctrina christiana lib. IV. cap. II. addatur & eiusdem libri cap. VII. XIV. XX. XXI. aliisque. Iungatur Kortholtus in Pagano obrectatore lib. I. cap. XI. ubi obiectam olim christianis stupidam rudiratem, diluit.

ma Pauli, τὴν παρακατάθεσιν servare & custodire, quo
maximo fieri potest studio, iubentis. Idque eo ma-
gis, quo facilius, quo gravius aberratur, quam pri-
mum vel leuissimo flexu, ab hoc diuini verbi trami-
te disceditur. Hac contra lucerna instructus, nullos
errorum, quantumuis sinuosos anfractus, nullas quan-
tumuis densas, ac infernales, metuo tenebras: hoc cly-
peo munitus, certissimā contra quosuis veritatis ac pie-
tatis hostes, mihi polliceor victoriam. Et ita facile
charybdin euitare licet, ne tamen in scyllam incida-
mus: si cognitioni, rite vt decet, operemur, scienti-
aeque iustum statuamus pretium, simul tamen caue-
amus, ne in ψευδώνυμον degeneret γνῶσιν, aut pro veri-
tate arripiendo commenta vana atque erronea, aut
in superbiae impietatisque conuertendo instrumen-
tum, quod ad pietatis virtutisque regnum promouen-
dum, diuinitus nobis est concessum. Qua quidem
ratione vota SERENISSIMORVM ACADEMIAE huius
NVTRITORVM, quorum propensam erga me volun-
tatem clementiamque singularem, grata, vt decet,
mente, & submisso animi cultu merito veneror, me
non frustraturum confido. Horum quippe huc ten-
dere curas, huc spectare vigilias, scio, vt saluari illa
& genuina ecclesiae nostrae doctrina, ex purissimis di-
uinarum litterarum fontibus, vnice hausta, pro qua
illorum maiores tantos exantlauere labores, tot subi-
ere calamitates, hoc bonae mentis domicilium sem-
per personet, vtque iuuenes ea imbuantur, & ad pie-
tatem, certissimum, verae doctrinae, modo vt decet,

eam

eam admittant, fructum, simul erudiantur. Ita
namque per eos haec παρακαταθήκη ad alios in longe
ventura propagari potest secula, atque conseruari,
vt maximum pariter ad ecclesiam vniuersam ac rem-
publicam, singulos denique, qui suae rite consulere
saluti capiunt, redundet emolumentum. Quare vt
statim in primo suscipiendi muneris limine, quae ra-
tio sit euitandae ψευδαριθμίας γνώσεως, quam paucis deline-
auimus, & diuinæ huius παρακαταθήκης conseruandae,
constet, oratione, more consueto praelectionibus a-
cademicis die hora praemittenda de NE-
CESSARIO PIETATIS ET VERITATIS NEXU exponam.
Cui vt PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, IL-
LUSTRISSIMI COMITES, VENERANDI ACADEMIAE
PATRES, OMNES LITTERARVM FAVTORES AC CVL-
TORES, AC ACADEMIAEQVE CIVES LECTISSIMI FLO-
RENTISSIMIQVE, intersint, meque de re maximū
momenti, incompta ea quidem ac ornatu omni de-
stituta, necessaria tamen, & nostris temporibus ac-
commodata oratione dicentem, beneuole audi-
ant, ea qua decet, omnes ac singulos ob-
seruantia ac humanitate rogo
obsecro, inuito,



